

Fol. 1

M U S Æ U M
COLLEGII ROMANI
SOCIETATIS JESU.

P A R S P R I M A.

C A P U T P R I M U M.

*Compendium quo Musæi Romani Descriptio, rerumque
præcipuarum series exponitur.*

Cap. I.



Stium plenum majestatis cancellis hinc atque inde tum affabrè excisis, tum intus promotorum benevolentia ectypis condecoratum splendet, quæ *Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. P. O. M.* inter Obeliscorum coronam ejusdem Sanctiss. Pontificis pro tempore regnantis effigiem sacris symbolis appositè exprimunt. Atque inter ornatissimam aram pretiosis artis & naturæ curiositatibus exornatam ingredientium oculis se fistunt, cujus tergum organum omnis generis avium concentum imitans, ac sonoro Ægyptiorum tintinnabulorum clangore tripudians, atque mechanico motu, & automato tympano instructum advenis festivè alludit.

Ad dexteram latus Bibliothecium folius authoris operibus refertum conspicitur, inter quæ Authoris scripta *Avicennæ Latina, Hebraica, Arabica interpretatio: una cum libro simplicium, in quo rariores, de quibus Avicenna agit, verbarum species ad vivum naturæ exemplar expressæ* videntur. Fulciunt hæc diversæ artis combinatoriæ cistulæ, in quibus Musurgica, Arithmetica, Geometrica nova inventa, Authoris nec dum comperta ingenii sui raræ, sed claræ tesserae ad curiosorum exercitium continentur.

Ad sinistrum latus pulpitem versatile 12 Romanorum Imperatorum copiosis numismatibus pretiosum, & arte

singulari conspicuum, tapete ex Indica palea texto coopertum. Quod sequitur lapidariæ artis, & sculptoriæ fertissima mensa, cui Salvatoris Christi effigies inter florum corymbos plena majestate, & juvenili gracilitate, *Guidorenei* penicilli autographum, in admirationem & venerationem advenas rapit. Cui supponuntur sculptoriæ artis specimina, à celeberrimo Architecto, & Sculptore, *Bernino* Equite, in lusu pueri cicadæ capiendæ elaborata.

Ad fenestram unde spacium hoc lucem capit, quæ undique raris ac variis picturis conspicua, sympathicæ materiæ species, soli authori nota, aquæ subere fulta innatans, horoscopium, lucis dominum sequi visitur; magnum naturæ opus.

Hucusque intra vestibula introductus curiosus advena, jam totius Musæi seriem (in classes totidem capitibus deducta artis & naturæ arcana) recensere. Quæ hinc inde pro situs angustia eleganti varietate permixta repertiuntur, quarum seriem ideo compendiosè ingero, ut vel præviâ lectione edoctus prius intelligat quàm videat, aut si videre prius contigerit, facilius reminiscentiæ aut ruminatiōnis fructum capere possit.

Quemadmodum vero omne bonum desuper & à patre luminum dimanat, ita quoque eo aut naturali instinctu, aut divino attractu omnes mortalium animi trahuntur. Hinc Authoris

A

thoris

